



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Parallelia Geographiae Veteris Et Novae**

Parallelia Geographica Italiae Veteris Et Novae

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 1. Nomen Sabinorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13120**

## CAPVT VII.

*De Sabinis, & Samnitibus prole Sabinorum.*

§. I. *Historica Sabinorum descriptio.*

NVM. I. *Nomen Sabinorum.*

**H**VIVS nominis etymologiæ triplex ratio profertur :  
*Prima* est Festi atque Plinij, qui à cultu Deorum sic dictos  
 esse arbitrantur, ἐπὶ τῷ σέβαστῳ.

*Secunda* est Portij Catonis apud Dionys. lib. 2. à Sabino filio  
 Sanci genij huius regionis, qui aliter dictus est Medius Fidius, & à  
 quibusdam creditur Hercules. Hunc filium Sanci Silius Italicus  
 Sabum vocare videtur.

*Tertia* est Catonis & Gellij quos Seruius citat, qui Sabinos di-  
 cōtōs volunt à Sabo duce Lacedēmonio, nam Sabini ad Spartanos  
 originem suam retulere, ut mox dicemus.

NVM. 2. *Origo Sabinorum.*

De origine Sabinorum in opinione aliquot scriptores antiqui  
 distraicti sunt.

*Prima* est Plutarchi in Numā, Dionys. Halic. lib. 2. qui Sabi-  
 nos Lacedēmonios origine faciunt, & primū venisse ad campos  
 Pometinos, & inde profectos sese indigenis permiscuisse credunt.

*Secunda* est Zenodoti Træzenij apud Dionys. loco citato dicen-  
 tis, Vmbros esse, & à Pelasgis expulsos venisse in hunc agrum, &  
 Sabinos dictos esse.

*Tertia* est Strabonis libro 5. ἀπόδονας esse, & Opicæ gentis, ut  
 sub initium huius libri diximus, & cum Opicis communem lin-  
 guam habuisse.

NVM. 3. *Politia Sabinorum.*

PELASGORVM plerique in Sabinos transiisse videntur, itaque  
 eō pertinent quæ suprà de Pelasgis obseruauimus apud Dionys.  
 lib. 1. Sabini ex Amiternâ vrbe profecti Listam Aboriginum vrбem  
 cepisse dicuntur. Ad tempora usque Romuli quomodo vixerint